



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

6. Lunæ, aliorumq[ue] siderum influxus etiam in monstra multum posse.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

fluxus siderum spectemus, quorum diuersi concursus, diuersos exigunt effectus. Et apud ordinariè monstrosos, tales monstri non existimantur, licet maximè sint: non enim se, sed alios, ad se solent æstimare.

VI.

Multum autem in hac re etiam facere cælestium corporum operationem, exemplo recenti possumus docere. Nostra enim memoria, Halæ, in Tyroli, iuuenis cetera egregius, sed ibidem patre Iudæo natus, nomine Bonaquistus, admirabiliter in ventre monstrosus fuit. Quippe crescente luna, inde sic illi quoddam taurinum excrescebat caput, non sine cornibus, vt caligæ illius nequaquam satis possent constringi. Qua de causa, semper crescente luna domi se continebat; decresciente autem eadè, quia & monstrum decrescens se se intra viscera reuocabat, aut detumescebat potius, foras prodibat, zoniam arctiore. Quod & in alio iuvene, hîc Ingolstadij fuit videre, cui itidem, semper luna auctiore, altera maxillarum atque labra oris, in immensum turgescerant; luna autem lumen amittente, redibat clementior forma. At quis tandem negabit, humores omnes cum luna inualescere? Quod ergo fides hoc ex parte, & ad tempus certum fecit, vt promoueret monstrositatem, cur non possent etiam efficere reliquorum astrorum maligni aspectus? Sicut enim nulla in cælo lucet stella otiosè, ita neque stellarum coniunctio suo effectu carebit.

VII.

Vide Aristot.
lib. 4. de gener. animal.
c. 4. Plutarch.
l. 5. de placitis Phil.
Galeni de historia Phil.
lophica
cap. 113.

Platina in Sabiniano, l. Papa,

Porro, sicut etiam quando animal gignitur, non tantum, solis aliorumque astrorum influxus, aut regionis vel salubritas, vel inclementia id extrinsecus attingunt; sed & alia concurrunt, vt virtus formatrix, quæ semini inhæret; materia è qua fœtus coalescit; receptaculum item fœtus; & completio primarum qualitatum: ita & hæc nimis redundantia, aut deficientia in causa sunt, vt totum fœtus opificium nõ ad amulsum exprimatur; aut, vt mistis seminibus, Androgyni, seu Hermaphroditi, itemque corporis figura semihomines, Panes, Siluani, semibestiae, Fauni, Satyris, & Hippocentauri, prodeant; vel nascantur tanti, vt non solum quatuor pedes habeant, qualem quadrupedem puerum Byzantij natum Platina refert; sed etiam vt dens vnus, si in nostrorum dentium